



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,  
Nunquam Edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1601**

De puero languente, qui gleba pensatus apud fontem B. Qvirini, in triduo defunctus est. Ode Monocolos Tristrophos. Metrum Dactylicum, Quatuor Dactylis Constans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

Ab huius isti plebe genus fuit  
 Paupercula, quæ strata fouens diu,  
 Frustraq; sacra circuiens loca,  
 Eadem QVIRINI viderat vltimo;  
 Hæc collo supra Danubium sita,  
 Plebes regit, cui CELLA vocabulum  
 Eò propinquis illa ferentibus  
 Delata supplex in Quadragesima  
 lacebat orans, vota Deo dabat,  
 Vt sanitatis munia redderet,  
 Ligata morbis membra resolueret,  
 Ac debitis hæc officiis daret.  
 Iam sabbatho dum Missa peredita,  
 Moneret addiritè Synaxeon,  
 Cui vesper affert nomen in ordine,  
 Se dirigebat clinica lectulo;  
 Primumq; fessi singula corporis  
 Sic membra sensim tendere cœperat,  
 Vt sana tandem surgeret eminus,  
 Mirando turbis illachrymantibus.  
 Diuina clerus carmina cecinit,  
 Sonant QVIRINVM cantica plebium,  
 Deuotionis gaudia dulcia,  
 Fletu remiscens organa cantuum.

De puero languente, qui gleba pensatus apud fontem  
 B. QVIRINI, in triduo defunctus est.

ODE MONOCOLOS TRISTROPHOS.  
 Metrum Dactylicum, Quatuor Dactylis Constant.

LAUDE salubris aquæ miseris pia  
 Mira recenseo, Martyris optimi,  
 Clara Camæna fideliter insonet.

Fons patuit medicabilis omnibus,  
 Subsidiū populis cupientibus,  
 Corporeis super anxietatibus.  
 Martyr ut huc Latio venit exulans,  
 Hac voluit dare flumina gratiæ,  
 Gleba potens ubi nocte quicuerat.  
 Ille latex licet vberē munere  
 Languida membra frequens reparauerit;  
 Iuratamen tenet hæc specialia,  
 Quod puerilia corpora morbida,  
 Si fuerint ibi cum prece sedula,  
 Pensa solo, sequitur reparatio.  
 Non ita septima lux aderit sibi,  
 Quin miseros reparata salus leuet,  
 Cui pia mors requiem placidam ferat.  
 Id quoque tempora nostra probant satis,  
 Dum modo gratia se vetus innouat,  
 Cuius ibi duo mira recensco.  
 Femina trans TEGRIENSE fretum manens,  
 Languiduli, cruciata doloribus,  
 Sex, pueri fuit anxia, mensibus;  
 Cui laticis memorando senes viri  
 Mira peracta sub anterioribus  
 Ritè monent ibi querere gratiam.  
 Paruit exhilarata monentibus,  
 Portat eò puerum miserabilem,  
 Huncq̄, soli propè pondere pensitat.  
 Spe vegetata bona redijt domum;  
 Tertia lux animam pueri beans,  
 Dat requiem miseræ mulierculæ.  
 De eo qui ablutus in fonte B. QVIRINI, diutina in-  
 firmitate infra triduum absolutus est.

Q

ODE